


Generali Comitatu. Polonico.



Mariæburgi die 8. Febr. 1714.

Uandoquidem procul dubio variis rumores de fossore illo Thesauri, qui haud ita pridem hic appulit, percrebuerunt: operæ pretium fore visum est, si res ita, uti se habet, exponeretur. Scilicet miles quidam gregarius, sub legione Generalis excubiarum Præfecti Seidlitiæ, quæ Elbingæ præsidio est, stipendia merens, ex Rascia oriundus, & Græcæ fidei addictus, jam tum superiore anno, plus simplici vice nomen suum professus, significavit, se thesaurum, in veteri, quæ hic est, arce, à sic dictis Crucigeris, cùm in his Terris olim rerum potirentur, absconditum, designare paratum esse, si certum murum angularem, in parte arcis boreali, in quo effigies Beatissimæ Virginis picta videtur, aperiendi sibi potestas fieret. Quia verò totum hujus hominis fundamentum in putativis apparitionibus & revelationibus consistebat, qui præterea, multum jejunando atque precando se hoc assecutum asserebat: Primores Arcis surdâ statim aure eum, tanquam fumivendum, repulerunt. Sicuti enim ex Historiis harum Terrarum constat, Equitum Marianorum Ordinem tandem ad incitas redactum fuisse, & Anno 1456. Magistrum Ordinis Teutonici, Ludovicum ab Erlichshausen, militiae, quæ sibi in subsidium venerat, exotica, postquam illi pecunias omnes, & tandem etiam argenteum

16793



tum, aurum, & lapides pretiosos in solutum dedit, defi-  
cientibus ulterioribus mediis, ipsam Arcem hanc tradidisse,  
concessâ simul potestate, in casum non securâe solutionis  
eam vendendi, & sic stipendiorum nomine satisfactionem  
quârendi; quò etiam res proximô anno devenit, Magistrô  
Ordinis sedem hanc suam non sine lacrymis relinquente:  
ita Crucigeri, si thesaurum aliquem absconditum habuissent,  
procul dubio primarium suum fortalitium & sedem Magi-  
strorum eo tempore maluissent redimere, quâm thesaurum  
una cum Arce, pariterque totam, quæ nunc Poloniæ Regi-  
bus paret, Prussiam amittere. Neque verò relevat præsumtio  
existimantium, quod Ordo ille ( uti Principibus, potissimum  
aurem magnis Conventibus & Cœnobiis in usu esse solet )  
fortè thesaurum habuerit, qui autem ab Anno 1410. post-  
cladem illam insignem Tannenbergensem, quippe in quâ  
ipse Ordinis Magister, Ulricus de Jungingen, cum quatuor  
Magnis Commendatoribus & sexcentis Crucigeris aliis ceci-  
derat, reliquis potuerit non innotuisse; quandoquidem ex  
Annalibus & Libris Chronicis apparet, in eodem prælio  
multos quidem, & maximè præciuos Crucigeros, non ta-  
men omnes periisse, quin ipsum Ordinis Thesaurarium in  
mortuorum non fuisse numero. Prætetea Commendator  
Svecensis, Henricus Reus, Dominus de Flauen, qui tunc  
hisce Terris cum imperio præerat, postea Ordinis Magister  
renuntiatus, statim post infelicem istam pugnam in Ar-  
cem hanc se conjecit, eamque præsidio ter mille militum,  
non computatâ militia, ex agrestibus collectâ, firmavit;  
inter quos sine dubio multi ex Crucigeris fuerunt. Singulari-  
ter verò juxta consuetudinem Ordinis Viginti quatuor Ordi-  
nis Sacerdotes ex quatuor illis, quos illo tempore hic nume-  
rarunt, Conventibus, item Equites ætate confecti & ægroti,  
nec non alii Officiales Arcenses, inferioris comatis, quippe  
qui-

quibus militiæ venia fuit, in Arce remanserunt: ex quibus, si non omnes, tamen plurimi, vel ideo potissimum, quod etiam aliqui ex eorum numero ad curam thesaurem pertinuerint, de loco reconditi thesaurem notitiam, vel saltem, eum extitisse, exploratum habuerunt: unde iterum non est verosimile, thesaurem istum, si in rerum natura fuit, ab anno 1410. ad Annū usque 1457. totis quadraginta septem annis. quo tempore res Ordinis sapientius valde fuerunt angustæ (siquidem, ut supra jam dictum, in defectu nervi rerum gerendarum tandem ipsa arce cedere necesse habuit) ipsos Crucigeros clam mansisse. Licet vero, rebus sicstantibus; maxima ratio fuisset, hunc Thesauri fossorum prorsus repellendi; ipsi etiam conscientia adversari videatur, per ejusmodi apparitiones Thesaurum consequi velle: tamen Primores arcis hujus, cum spem quasi proximam thesaurem detegendi homo ille firmiter retineret, & coram Officialibus primi in ea legione Ordinis Elbingæ vehementer conquestus fuisset, se hic non exaudiri, additis minis, de Rege ipso in casum ulterioris impedimenti adeundo, iisque accusandis, qui se ab illo opere prohibere sustinuerint, connivendo tandem permiserunt, murum eâ parte, quam miles hic designasset, sumptibus Officialium, quibus subest, aperiri: adeoque ipse Octiduo ante præteritam diem Martis murum ad medium ulnæ, quâ profunditatem, in latitudine 3. ulnas complexus, incidi curavit. Cum vero contra expectationem nullam aperturam aut cavitatem reperisset; ad supersticiosas reversus preces, die Mercurii proximè elapsa septimanæ in fornice obscuro feso concludi passus est, jejunando & orando ad hesternum usque vesperem perseveratus, nec dubius, quin ita locus reconditi thesaurem sibi accurate demonstretur: prout etiam totis septem diebus à cibo & potu abstinuit, donec hesterno mane parum comedid. Quæren-

rentibus, quid sibi interea accidisset, respondit: apparitione novâ se esse monitum, ut in labore perget, & quidem effodiendo terram in turri, muro isti contiguâ: in qua autem narratione aliqui emunctioris naris, qui ad eum se contulerant, ut fabulæ tandem finis imponeretur, observaverunt, hominem in altâ malancholiâ multa stolidè locutum, in multis sibi ipñ contradixisse. Cumque ad huc fassus esset, se de hoc thesauro & fornice, qui sub arce extet, atque ad prædium usque Regium Leske integrum milliare ducat, ex hominibus infimæ plebis aliqua ante exaudivisse, quam ad thesaurum inquirendum operam obtulisset: (sicuti hæc vetus quidem, sed vel intuitu paludosi & uliginosi Jnsulæ fundi, nullâ fide digna traditio est:) hominem hunc tanquam melancholicum nec sibi satis constantem, Officiales quoque ejus, abjecta insimul spe, thesauri potiundi, missum fecerunt.

